

[14]
DE VITA ET
OBITU CLARISSIMI
ET ORNATISSIMI
VIRI,

D. GEORGII SABINI,

ORATIO

M. IOHANNIS BO
TICHERI RVPI-
NENSIS.

AD FINEM ADIECTA

*sunt Epitaphia, conscripta à clarissimo viro,
D. Iacobo Cuchlero Silesio, Palatini Sy-
radiensis Secretario.*

215
VVITEBERGÆ
Excudebant hæredes Geor-
gij Rhaw.


Anno M. D. LXIII.

*Clariss: D. Doctori, Johanni
Maioři, d. d. Autor.*

15
Handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to be arranged in two lines.

AMPLISSIMO ET
ORNATISSIMO VIRO,
PIETATE, VIRTUTE ET GE-
nere præstanti, Domino ANTO-
NIO GLOEDE, in Republi-
ca Luneburgensi, Patrono & co-
gnato suo colendo,
S. D.

IOHANNES BOTICHERVS
RVPINENSIS.

DITA EST AN-
no superiori Oratio quæ-
dam mea, quam de vita &
obitu clariss. & ornatissi-
mi viri, D. GEORGII SABI-
NI conscriptam, in Academia Fran-
cofordiana, in doctissimorum virorum
confessu publicè habui, paulò post, cum
ipse diem suum beatissimè obiisset. Sed
prodiit illa in lucem, non sine multis
mendis Typographicis, ita, vt post-
A 2 quàm

quàm excusa in manus meas rediret,
vix meam esse agnoscerem: Quæ res
nunc occasionem mihi dedit, vt cum
exempla omnia prioris editionis distra-
cta essent, illam recognoscerem, quò
ederetur emendatior & locupletior.

Sunt enim δευτέραι φροντιστικὴ σοφωτέραι.

Etsi verò ego nunquàm mihi pers-
suasi, ingenium mihi contigisse tam
amplum & fœcundum, quod gignere
ex se aliquid posset eruditorum lectio-
ne aut posteritate dignum: Tamen in
editionem huius exigui scripti certis de
causis consensi. Volui enim publicum
extare meæ erga Sabinum, quem ego
viuentem ob innumera in me beneficia
colui & obseruavi, perpetuæ pietatis,
gratitudinis & desiderij testimonium.
Deinde, quia putabam hanc de Sabini
studijs rebusq; gestis commemoratio-
nem ad acuenda iuuentutis studia, &
ad

ad imitationem nonnihil profuturam
esse. Neq; enim dubium est, quin hi-
storiæ de præstantium hominum, præ-
sertim eruditorum, vita, multis de re-
bus forment acuantq; iudicia, exemplo-
rumq; ad inflammandos animos ad vir-
tutem, magna vis sit atq; occasio. His
causis & aliæ accedunt. Postquam
enim hac nostra ætate omnes optimæ
& pulcherrimæ artes ex superiorum
temporum barbarie & horrendis tene-
bris vnâ cum veræ religionis doctrina
in clarissimam lucem reuocatæ sint,
immenso Dei beneficio: interest forsitan
& nostra & posteritatis intelligere,
quibus Deus, tãquàm organis vsus sit,
ad hoc summũ in terris opus, nempe ad
repurgandam Ecclesiæ doctrinam, &
ad excitandas, excolēdas, illustrandas
& propagandas artes, in quibus grata
de Deo fama, vt Plato inquit, sparsa
A 3 est.

est. Hinc historiae de vita Lutheri,
Philippi, Erasmi, Crucigeri, Bugens-
hagij, Milichij & aliorum, qui hac no-
stra aetate diuinitus excitati Ecclesiae
& Reipublicae vtilem operam naua-
runt, & de toto genere humano bene-
meriti sunt, à doctis viris passim sunt
conscriptae.

Contulit autem & Sabinus egre-
gia Symbola ad ornanda & propagan-
da doctrinae studia, qui in eo studiorum
genere, quod sectatus & professus est,
ita ~~ga~~ excelluit, vt in eodem inferiores ha-
buerit multos, similes paucos, superio-
rem propè neminem. Horum summorum
virorum memoriam, qui huius nostri
seculi praecleara ornamenta fuerunt, &
egregia eruditionis lumina, decet nos,
qui ipsorum discipuli sumus, conserva-
re: & Dei beneficia per haec salutaria
organa nobis praestita, gratis mentibus
agnoscere

agnoscere ac celebrare, & suo quisq; loco operam dare, vt doctrinam ab his præceptoribus acceptam incorruptam retineamus, & ad omnem posteritatem transmittamus, ne inter nos extinguatur notitia Dei, & bonæ artes, quæ tanquàm cophini sunt, quibus conseruatur pignus vitæ æternæ, hoc est, Euangelion de Filio Dei, intereant. In hanc curam decet nos sedulò diligenterq; incumbere, cum nostra causa, tum propter posteritatem, quæ, si qua futura est, de his pijs, præstantibus & salutaribus Doctõribus, qui id vnicè operam dederunt, vt vniuersæ Philosophiæ studia accèderent, veræ religionis doctrinam illustrarēt, illustratam latius spargerent, & ad omnem posteritatem incorruptam transmitterent, rectius sentiat, & honorificētius iudicabit, quàm hæc nostra ingrata ætas.

A 4 Tibi

Tibi autem, ornatissime D. ANTONI, editionem huius narrationis de vita SABINI inscribere ac dedicare volui, ut cum Sabini nomen propter virtutem, qua praeditus fuit, passim in Germania & Italia, clarissimum sit, sub clari etiam patroni nomine ea in lucem prodiret. Deinde, ut tu hinc intelligas, me nominis tui ac veteris nostrae consuetudinis memoriam summa cum benevolentia conseruare. Spero autem tibi alijsq; bonis mentibus lectionem huius Historiolae, in qua vitam Sabini praestantissimi viri, breuiter quidem, sed bona fide, recitavi, non ingratham fore. Cum enim virtute nihil sit amabilius, magna profecto voluptas est bonis mentibus, tales animo & cogitatione intueri viros, qui admirandis ingenij dotibus, eximia virtute & summa eruditione antecelluerunt, ac
v. lis

reliquæ multitudini præluxerunt. Ea enim de Sabino literis memoriaq; mandavi, quæ de ipsius studijs, peregrinationibus & rebus gestis, partim ex ipsius scriptis collegi, partim ex familiaribus colloquijs ipsius, quæ sæpè ambire solebam, ut eius prudentia fierem doctior, observavi atq; meminî.

Tu mi D. ANTONI, cùm hîc leges narrationem de itinere Sabini Italico, studiorum causa suscepto, recordaberis cùm tuarum peregrinationum, de quibus alibi à me scriptum est: tùm verò profectiois Italicæ præstantissimi et eloquentissimi viri, D. Martini Gloëdij Rupinensis, LL. Doctoris, aui tui, de quo meminî virum optimum & prudentem, D. Andream Ludouicum, consulem in Repub. Rupinensi, auunculum meum, nunc piè defunctum: tùm verò etiam patrè meum

A 5 multa

multa iucundè narrare. Auum tuum
cùm ingens literarum amor in Italiam
ad Academiam Senensem in Hetrus-
ria, quæ istis temporibus ingeniorum
& doctrinæ princeps habebatur, per-
traxisset, ita cùm in aliarum artium,
tùm Iuris Ciuilis studijs profecit, vt
inde LL. Doct̃or reuersus, Rebuspub.
magno præsidio & ornamento fuerit.
Antecelluerat ingenio, doctrina, consi-
lio & eloquentia. Idcirco magna fue-
rat eius autoritas apud multos Princi-
pes. Sed in primis carus & iucundus
fuerat Illustrissimo & sapientissimo
Principi Ioachimo primo, Marchioni
Brandeburgensi, Romani Imperij Ele-
ctori, non solùm, quòd vir tantus in
ipsius ditione natus esset, sed multò ma-
gis propter eruditionem, sapientiam,
& in rebus gerendis industriam. Pro-
duxerat tùm mea patria & alios Iures
consul.

consultos claros & industrios, vt Do-
ctorē Ronnebeccium, Doctorem Pau-
lum Pencouium, D. Ioachimū Boti-
cherum patrum meū, & alios, Sed in
primis sapientissimus Princeps aui tui
familiaritate delectatus est. Præcipue
verò ingenij & sapientiæ ipsius fru-
ctum tulit inclyta Respub. Lunebur-
gensis, cui auus tuus operam dedit, de
qua etiam rebus multis ad salutem vr-
bis laudabiliter gestis, præclarè meri-
tus est. Quo factum est, vt dum vixit,
maximis sit laudibus ab omnibus cele-
bratus, post mortem verò gloriosam ac
sempiternam sui memoriam reliquerit.
Hanc commemorationem de auo tuo
ornatissimo & sapientissimo viro li-
benter adieci, quia recordatio maio-
rum, præsertim eorum, quos Deus no-
bis, tanquàm virtutis exempla, imi-
tandos proposuit, iucunda est. Vt enim
Nestor

Nestor apud Homerum hortatur Me-
nelaum, vt fratris Agamemnonis vir-
tutem imitetur, ita & nos decebit ar-
dentius ad virtutis decus incumbere,
admoniti maiorum exemplis.

Benè feliciterq̄, mi D. ANTO-
NI, vale, tibiq̄, persuade, multum mi-
hi voluptatis in recordatione veteris
nostræ consuetudinis esse constitutum,
teq̄, ob multas egregias virtutes tuas à
me coli & obseruari, ac te mihi multis
de causis esse carissimum, sed multò fu-
turum esse cariorē, si hoc leuidense &
chartaceū munusculum, quod sub huius
noui anni felici auspicio ad te mitto, ti-
bi gratū acceptumq̄, fuisse intellexero.
Datæ Vuitebergæ die 6. Ianuarij, quo
ante annos 74. natus est laudatissimus
Poëta in Germania Eobanus Hessus.
Anno 1563 qui vt felix & tranquil-
lus sit Ecclesiæ Dei et Christianis Re-
bus pub. toto peçtore opto. Ora-

ORATIO
DE VITA ET OBITU
TV CLARISSIMI ET
ORNATISSIMI VIRI, D. GEOR-
GII SABINI, Scripta à Iohanne Bo-
tichero, & ab eodem in Academia
Francofordiana ha-
bita.



QV AN QV AM
nunquam nō agnosco,
quàm parum et quàm
exiguum sit, quicquid
in me vel ingenij est,
vel dicendū facultatis, tantum abest, vt
arrogare mihi quicquam eloquentiæ
velim: Tamen hunc amplissimum lo-
cum hoc tempore conscendens, agnosco
quòd minus nunc, quàm aliàs, ad dicen-
dum idoneus paratusq; sim, cum ingens
dolor velut caligine quadam meum cir-
cumde

cum dederit animum, & acerbissimus
luctus linguam quoque impeditam atque
interclusam teneat. Me enim, quod res
est, ingenuè fateri, cum dissimulare
nullo modo possim, decet. Ego hoc tri-
sti Academiae nostrae casu, hoc recenti
et publico omnium bonorum luctu, hac
immatura & non sperata clarissimi &
ornatissimi viri, SABINI nostri
morte sic commoveor, sic perturbor, ut
neque vocis officio in animi sententia
commodè explicanda, neque mentis con-
silio in re, quae huic loco & tempori
conuenit perspicienda, decorè constan-
terque uti queam.

Nam si unquam casus aliquis huic
Academiae & Reipublicae literariae acer-
bus accidisse videri potest, SABI-
NI profecto optimi & praestantissimi
viri interitus, omnium lachrymis om-
niumque voce deplorandus, graues no-
bis

bis acerbissimi luctus atq; doloris causas dedit. Neq; enim parvam fecimus iacturam tanti Viri interitu, qui in eo studiorum genere, quod sectatus, quod professus est, ad tantum conscendit fastigium, ut communi omnium eruditorum ac rectè sentientium iudicio, vel cum veteribus præstantibus Poëtis, qui Augusti Cæsaris temporibus flourerunt, conferendus, vel aliquibus etiam anteponendus fuisse videatur.

Neq; mediocre vulnus acceperunt omnes boni, qui magnitudinem detrimenti, quod huius Viri interitu Reipub. accidit, vident atq; perpendunt.

Mihi verò etiam hic tristissimus casus tantam mœstitiam peperit, tanto me mœrore cōcussit, ut vix quicquā in vita mihi acerbius unquam acciderit.

Quum autem iuxta Academiæ leges consuetudinem à maioribus acceptam

ptam hoc loco & tempore dicendum
aliquid esset, ac imago clarissimi viri,
SABINI nostri, quem hoc ipso ex
loco magno cum fructu docentem au-
dire solebamus, oculis meis atq; animo
obuersetur, Historiam vitæ eius hone-
stè laudabiliterq; actæ, commemoran-
dam duxi. Quanquam enim (vt dixi)
non ita ingenio abundo, neq; Orationis
vbertate atq; copia tanta instructus
sum, quantam vel suscepti argumenti
amplitudo atq; dignitas, vel expectatio
opinioq; vestra requirere postulareq;
videtur: & singulari quadam animi
tristitia, cuius vel hæc ipsa vox mea te-
stis esse potest, impediior, quò minus
Orationem, huic amplissimo loco &
huic tempori conuenientem, in hac do-
ctissimorum virorum frequentia &
hoc optimorum iuuenum concursu ha-
bere possim: Tamen cum publica

legimus

legum autoritas hanc mihi dicendi necessitatem imponat, officijque ratio omnem eripiat recusandi libertatem: cumque excellens Sabini nostri virtus maxima nobis priuatim & publice præstita beneficia & plurima in nos merita efflagitent, vt gratitudinem nostram erga benè meritum testemur, & vocem amoris desiderijque testem edamus: Spero vos de officio & consilio meo rectè iudicaturos esse, meque benignè audituros, etiamsi eam Orationis varietatem, splendorem & ornatum non adhibuero, quem personæ dignitas, de qua dicendum est, postulare videtur. Cuius enim est tantum ingenij flumen, cuius tanta dicendi vis atque copia, quæ non dicam exornare, sed enumerare egregias & admirandas virtutes huius optimi viri possit?

B

Opta

Optarim autem, si Deo optimo
maximo ita visum esset, ut viuo potius
Sabino, hanc, quam pro virtute ipsius
ac ingentibus erga nos meritis debe-
mus obseruantiam & gratitudinem,
præstare possemus, quàm mortuo hunc
qualemcunq; habere honorem. Sed cùm
Deo visum sit, ipsum hoc tristi Reipub.
tempore rebus humanis eripere, & ex
hac mortali vita in meliorem traduce-
re, non profectò committendum arbi-
tremur, ut omnem eius memoriam,
vnà cum exuujs deposuisse videamur.

Vt autem, cùm de personis verba
fiunt, initio demonstrari solet, quo quisq;
tempore & loco natus sit: ita vsitato
more inde initium faciam Orationis
meæ. Adficimur enim nescio qua ratio-
ne locis ipsis, in quibus eorum, quos ad-
miramur, adsunt vestigia atq; monu-
menta.

Natus

Natus est D. GEORGIUS
SABINUS in inelyta & antiqua
Marchiæ ciuitate Brandeburgo, Anno
Christi 1508. hora septima antemes-
ridiana diei vicesimi tertij mēsis Apri-
lis. Nomen Georgio in Baptismate in-
ditum puto, quòd is dies diuo Georgio
sacer sit. Idem enim dies etiam Georgio
Fabricio Chemnicensi, præstati Poëtæ
& omnis antiquitatis peritissimo, ini-
tium dedit, quem Sabinus ætate ante-
cessit annis octo.

In ea vrbe Respub. est sapienter
constituta, retinetur ibi disciplina seue-
ritas, multitudo honestis regitur legi-
bus, Princeps Elector & Senatus Op-
pidi iusticiam & æquitatem constanter
tuentur. Ad hæc ornamenta politica
accedunt æterna bona, incorrupta vox
Euangely, qua ibi Filius Dei æternam
sibi colligit Ecclesiam. In vtraq; ciuita-

B 2 te

te (sunt enim oppida duo Havelo flu-
vio interfluente distincta atq; diuisa)
Ecclesijs sunt adiunctæ Scholæ, in quibus
iuuentus discit linguam latinam &
græcam, summam doctrinæ Christia-
næ, aliarumq; honestarum artium, quæ
Ecclesie & Reipub. vtilis & necessa-
riæ sunt, initia. In eiusmodi Reipub. nas-
tum esse, & si felicitas quædam est: tas-
men Sabinus non tam loci natalis cele-
britate lætabatur (quamuis lætaba-
tur sanè plurimum) quàm quòd Eccle-
siae Dei, patriæ omnium nobilissimæ
cuius factus esset.

Hoc loco etiam de ornamentis pa-
rentum atq; familiæ eorum, quorum hi-
storiæ vitæ recitantur, multa copiosè
dici, splendideq; disputari solent. Nam
cùm virtutum semina ac ingeniorum
similitudo in sobolem à parentibus
transfundi ac propagari existimentur,
&

Et exempla domestica multum valeant, plurimumque habeant momenti, sæpè scire cupimus, quales illi fuerint, à quibus magni viri, heroica naturæ præstantia præditi, ac domestica maiorum disciplina ad excellentem virtutem excitati, originem suam duxerint. Sed de his ego dicam breuiter.

Pater Sabini Balthasar Schulerus, Consul Brãdeburgicus, vir fuit integerrimus, et iusticiæ ac prudentiæ nomine clarus. Hunc propter sapientiam, fidem, industriam, singulari beneuolentia complexus est Illustrissimus Princeps Elector, Ioachimus I. Marchio Brandeburgensis. In Magistratu suo in hanc curã sedulò incubuit, vt publica augetet commoda, et communi vtilitati consuleret. Qua in re Platonis videtur præceptum secutus, vt omnino, qui Reipub. præsunt, vtilitatem ci-

B 3 uiuum

uium sic tueantur, vt quicquid agunt,
ad eam referant, suorum obliti com-
modorum. Intellexit vir sapientissim-
mus, cum ciuitatis personam gereret,
debere se eius dignitatem & decus sus-
stinere, seruare leges, & secundum eas
iura dicere. In omni vita placidus fuit,
in delictis verò puniendis pœnisq; irro-
gandis seuerus & acer, iustus tamen et
æqualitatis amans. In consulatu suo
collegam habuit ornatissimum virum
Christianum Matthiam, cuius sapien-
tia in his regionibus passim istis tempo-
ribus celebrabatur, patrem amplissimi,
sapientissimi & eloquentissimi viri,
Thomæ Matthiæ, quem honoris causa
nomino

Mater Sabini, quæ adhuc Dei be-
neficio superstes viuit, matrona est,
quam multi nouerunt, honestissima,
ætate antecellens, senili sapientia, sin-
gulari

gulari morum grauitate prædita, & ad
superstitionem vsq; religiosa.

His igitur parentibus natus est
Sabinus, qui pietatis, prudentiæ, iustiti-
ciæ non modò opinionem, verùm notis-
simam famam à multis annis obtinue-
runt. Horum vestigia secutus Sabi-
nus, ita proprijs floruit virtutibus, vt
si genus, si familia eius ante hæc tem-
pora ignotior fuisset, ab ipso initium ac-
cepisset nobilitatis, memoriæq; sempi-
ternæ.

Sabinus cùm admodum puer pa-
tris optimi & prudentissimi viri, dili-
gentia, præceptoribus, quales istis tem-
poribus haberi poterant, traditus atque
commendatus esset, vt in publica scho-
laijs artibus, quibus puerilis imbui æ-
tas, & ad humanitatem informari so-
let, erudiretur, iam tum in prima pue-
ritia, non dubia nec vulgaria bonæ in-

B 4 dolis

dolis signa ostendit. Deposuit in ea schola primum tyrocinium, iecit ibi aliqua primarum artium fundamenta, didicitque præcipua Christianæ doctrinæ capita, quæ in Catechismo tradita explicataque sunt.

Sed non erat istis temporibus talis literarum & artium lux, qualis Dei beneficio nunc est, quando omnes optimæ artes atque disciplinæ suum decus atque vigorem acceperunt. Nec facile inueniri industrij ac idonei iuventutis doctores poterant, de qua infelicitate, temporumque istorum tenebris, quibus tum bonæ artes obrutæ obscuratæque iacebant, & ipsum & patrem meum carissimum, Iohannem Boticherum, conquerentem audiui, qui cum Sabino in eadem schola sub iisdem præceptoribus versatus est, & Sabinum ætate paucis annis antecedit.

Parens

Parens Sabini etsi varijs ac graui-
bus negotijs, publicis & domesticis oc-
cupatus erat, nunquam tamen depo-
suit, nunquam prætermisit curam edu-
cationis filij, ac in primis id sedulò ope-
ram dedit, vt in officijs pietatis & lite-
ris diligenter institueretur. Itaque &
ipse vitam et mores filij studiosè rexit,
& domestico pædago eam curam di-
ligenter commendauit. Existimabat
enim pater sapiētissimus officij sui esse,
non solùm liberis honesta ratione patri-
monium quærere, sed multò magis pie-
tatis, eruditionis & virtutis possessio-
nem, ipsis post mortem suam relinque-
re, vnde vera sapientia, quæ salutarium
consiliorum parens est, tanquam ex
fonte promanat, existimabat frigere
infirmumque esse omne consilium, quod
nec tinctum aspersumque literis esset,
nec suffultum munitumque prudentia.

B 5 Egressus

Egressus annum quintum decimum, *V*itebergam in principem illam *A*cademiam ac celeberrimum illud literarum emporium à patre *S*abinus mittitur, ad capeffendum uberiorem ingenij cultum. *E*a *A*cademia & patriæ *S*abini vicinior erat, & florebant ibi magis literarum atque doctrinæ studia, quàm alijs in locis. *R*eferta tùm ea *U*rbs erat præ cæteris literarum domicilijs eruditissimis, & in omni artium disciplinarumque genere præstantissimis hominibus. *H*æc tùm ea *A*cademia præter cæteros *P*rofessores egregios, duo præclara eruditionis & doctrinæ lumina, *L*utherum & *M*elanthonem, quos duos existimo admirando quodam & diuino consilio his postremis mundi temporibus excitatos fuisse, ac eodem in loco coniunctos, ad repurgandam & illustran-

illustrandam religionis omniumq; præ-
stantissimarum artium doctrinam,
quorum pij conatus & labores mis-
rabili modo à Deo adiuti sunt, sicut
euentus & res ipsa postea abundè de-
clarauit.

Ibi Sabinus adolescens Philippo
Melanthoni, qui eruditione & existis-
matione princeps & erat, & omnium
iudicio habebatur, traditus atque com-
mendatus est, vt ab ipso in literis re-
ctius institueretur, & in eius castissi-
ma domo & honestissima familia libe-
raliter educaretur.

Ad hunc egregium iuuentutis
magistrum ità erat à patre deductus
Sabinus, vt semper ei adesset, et quoad
posset & liceret, ab eius latere nun-
quàm discederet, fierique studeret eius
prudentia doctior.

Cum

Cùm itaque contigisset adolescenti
natura artium disciplinarumque ca-
pax, magna certè hæc felicitas fuit, &
mea quidem sententia exoptatissima,
quòd cùm primùm in schola patriæ in-
genium pueri quoquo modo excitatum
præparatumque esset, postea accesserit,
præstâtissimus ille magister, qui natu-
ram adolescentis felicissimam studio
doctrinaque perpoliret atque excole-
ret.

Quamobrem etsi Philippus ipse
curam studiorum ac morum Sabini se-
dulò gereret: tamen & à Francisco
Vinariensi, optimo & doctissimo vi-
ro, eum institui atque erudiri voluit.

Is Sabinum adolescentem cùm in
primis artibus, tum in lingua latina &
græca, in vtriusque orationis facultate
solutæ & ligatæ, sedulò diligenterque
exercebat. Eius memoriam familias
ribus

ribus in colloquijs nonnunquam vsurpare Sabinus, ac ipsius fidem, diligentiam ac erga se merita, prædicare solebat.

Hos ergò cum nactus esset præceptores tam claros, tam industrios, & in discendo egregios progressus faceret, antecellere cœpit eximiæ indolis gloria, celeriterque summi ingenij famam consecutus est.

Melanthon cum adolescentis naturam diligentius observasset, ac animadvertisset ipsum incredibili quodam impetu ad poësin ferri, cumque iam in eo studiorum genere feliciter & quadam cum voluptate ac delectatione versaretur, hortator ipsi fuit atque autor, ut in componendis versibus exerceret se quàm plurimum, & ex omni latinorum Poëtarum numero, Ovidium sibi potissimum imitandum proponeret.

Tem

Tempora studiorum ipsi sapienter distributa fuerunt, certas horas tribuebat discendis artibus, certas lectioni Ciceronis & Ouidij, certas cognitioni historiarum & antiquitatis, certas audiendis publicis priuatisq; lectionibus, certis exercitationibus styli. Audiuit tum publicè Lutherum & Melanthonem, quorum is sacras literas interpretabatur, hic Dialecticentum tradebat, & Orationes Demosthenis, Oratoris Atheniensis disertissimi, enarrabat.

In primis verò eloquentiæ & poëseos amore exarserat Sabinus. Idcirco Ciceronem & Ouidium penitus sibi cognoscendos proposuerat, ex quibus latine linguae parentibus orationis elegantiam & copiam hauriret.

Horum genus orationis præclarum illud & magnificum à natura amabat ac admirabatur, atque in hos
duos

duos maximè studium suum imitationemq̄ intendebat.

Neq̄ verò irritum fuit hoc imitandi studium. In eo enim quantum temporis successu profecerit, cum res ipsa, hoc est, poemata ipsius, planè ad Ouidij imitationem conscripta: tum grauisimum illud Petri Bembi summi & eloquentissimi viri iudicium, qui de tali orationis forma iudicare poterat, abundè confirmant, testatumq̄ relinquunt.

Frequentabatur domus Philippi Melanthonis indies à doctissimis viris, in qua cum Sabinus viueret, facile fieri potuit, vt in multorum præstantium virorum noticiam veniret.

In vita ac moribus ita sese gerebat, vt cum reliquis omnibus, tum illi grauisimo præceptori & hospiti probatissimus esset.

Erat

Erat in eo adolescente præter excellens ingenium, singularis quædam modestia, quæ istam ætatem in primis commendare solet, quæ non modò in sermone eius extabat, sed in vultu etiã atque oculis eminebat.

Commendabat eum præterea omnibus, qui illũ nouissent, grauitas quædam maior, quàm quæ ab ista ætate postulãda esset, eximia humanitate temperata.

Cùm iam ætate processisset, & ipsam ætatem virtute doctrinaque longè anteiret, cùmque iam fundendi carminis habitum sibi comparasset, ac ea in re industriæ suæ specimen aliquod in congressu quorundam Poëtarum, qui tùm in ea Academia versabantur, edidisset, Sabini nomen accepit, cùm antea Schulerus à familia, in qua natus est, nuncuparetur: quod tamen cognomen aliàs obscurè de ipso ferebatur.

D

Descripsit tùm ibi res gestas Germanicorum Cæsarum ex varijs monumentis collectas: eaq; in re ita versatus est, vt ætatem iuuenilem doctrina sapientiaq; longè superaret.

Illud insigne opus, quo de omni posteritate optimè meritus est, cùm typis euulgatum in publicum emisisset, iam tùm inclarescere magis atq; magis nomen & virtus eius cœpit, non solùm apud eruditissimos homines, qui eisdem studijs delectabantur, sed apud Principes quoque viros, qui tùm honorificam de Sabino spem opinionemq; conceperant, ad summum eruditionis fastigium efflorescendi.

Cœpit ipsum tunc complecti singulari favore Illustrissimus Princeps Elector, Ioachimus I. Marchio Brandenburgensis.

C

Erat

Erat præterea erga ipsum summa benevolentia Albertus Marchio Brandenburgensis, Archiepiscopus Moguntinus, Cardinalis & Elector, qui ut erat sapiens ingeniorum censor, ita in Sabino eximiam quandam virtutem animaduertens atq; obseruans, non ut in multis arte adscitam aut iniustam, sed natiuam, humaniter ipsum complexus est. Horum summorum Principum gratiam atq; fauorem magnificè Sabinus, & deinceps summo studio erga se retinuit. Illi verò etiam optimi Principes de sua erga Sabinum benevolentia nihil vnquam immutarunt, sed ipsum virtutis causa omni officiorum genere ornandum putauerunt.

His occasionibus stimulisq; incitabatur Sabinus, ut se ad legendum scribendumq; maiore opera ac cura dederet: quoniam intellexit non defuturos optimates

mates, qui harum artium patrocinium
susciperent.

Versabantur tùm in horum sum-
morum Principum aulis doctissimi vi-
ri, sapientia & virtute præstantes.
Hos omnes Sabinus celeriter amicitia
& consuetudine comprehendit: erant q̄
iam tùm multorum oculi in ipsum con-
iecti.

Postea parentes ipsum studium Iu-
ris civilis amplecti voluerunt, idq̄ ita
tamen, vt eum naturæ & studijs suis
obsequi passi sint.

Quanquàm igitur Legum civilium
studio sese dederet, in eo tamen ita vers-
satur, vt poëticæ & eloquentiæ stu-
dia nunquàm deponeret, vt nullus dies
ab exercitationibus oratorijs & poëti-
cis vacuus esset. Sic enim sibi iam per-
suaserat, isti etiam studiorum generi
aliqua esse præmia, vel ad gratiã conse-

C 2 quena

quendum, vel ad honores adipiscendos,
vel ad dignitatem comparandam pro-
posita.

Certabat ac commentabatur cum
alijs Poëtis, Acontio, Stigelio, Ebne-
ro, Lemnio, quorum nomina publicis
scriptis celebrata sunt. Ac confirmaba-
tur in ea studiorum ratione à Ioachimo
Camerario, optimo & doctissimo viro,
& Eobano Hesso, Poëtarum omnium
in Germania principe.

His consuetis exercitationibus ad-
iunxit & græcorum scriptorum lectio-
nem. Arbitrabatur enim orationem
græcam plura ornamenta latinè dicen-
di consuetudini suppeditare, latinamq;
orationem legendis græcis effici plenio-
rem.

Conuertit tunc in sermonem latis-
simam Orationem illam Isocratis, in qua
Orator illis temporibus in vniuersa
Græcia

Græcia disertissimus, hortatur Philippum Regem Macedonicum, qui tùm bellum cum Atheniensibus gesserat, ut facta pace cum græcis ciuitatibus, & domi constituta concordia, bellum in Asiam transferret, & ità non modò Græciam, sed patriam quoq; seruitutis metu liberaret.

Inciderant in ista tempora adolescentiæ Sabini magnæ mutationes in Religione. Cœperat Lutherus paulò antè repurgare doctrinam Ecclesiæ. Qua de causa habiti postea sunt crebri Principum et Theologorum conuentus. His conuentibus interfuit Sabinus comitatus Philippum, præceptorem & hospitium suum.

Indixit deinde Imperator Carolus generalem Imperij conuentum Augustæ, idq; religionis potissimum, & Turcici belli causa. Eò cùm Illustrissimus

C 3 Prima

Princeps Marchio Brandenburgicus,
Electoꝝ, proficisceretur, habuit in co-
mitatu suo Sabinum. Aderant tũm fre-
quentes Augustæ omnes Electoꝝes &
Imperij ordines, ac fiebant tũm ibi con-
sultationes de rebus maximis. Vidit ibi
Sabinus res geri grauissimas, quarum
cognitio sapientiam in ipso augebat, &
apud amicos auctoritatem ipsi pariebat,
apud alios verò, quibus notus esset, exi-
stimationem amplificabat.

Florebant istis temporibus in Italia
omnium optimarum artium, in primis
verò Eloquentiæ & Iuris Ciuilis stu-
dia. Hęc itaq; cũm Sabinus studiorum
causa, et quidem Iuris Ciuilis addiscen-
di gratia videre cuperet, consiliũ suum,
quod de profectiõne in Italiam cœpise-
ret, exposuit Alberto Turco, Moguntia-
ni Archiepiscopi Cancellario. Is autem
de Italia sentiebat honorificè, ac iudica-
cabat

cabat eam ingeniorum & doctrinae principem esse. Idcirco consilium Sabini & cupiditatem animi eius, non solum probavit Turcus, sed etiam Principi suo studia eius summa fide & diligentia commendavit atque promovit.

Cum itaque iam decennium apud Melanthonem in studiis liberalium artium versatus, & egregiam eruditionem consecutus esset, in Italiam profectus est.

Eius Italici itineris comites habuit Balthasarē à Vuolde, qui fuit in castris Imperatoris Caroli V. cum Tyrannus Turcicus obsideret Viennam Austriae, Iohannem à Belaw, equites Pomeranicos, Erasmum à Minckwitz, qui postea Iuris Doctor ex Italia reuersus, factus est Consiliarius Illustrissimi Principis Iohannis Friderici, Electoris Saxonici. Deinde moto bello Saxonico, & ca-

pto Electore, & mutata Repub. contus-
lit se ad Illustrissimum Electorem Pa-
latinum Rheni, apud quē munere sum-
mi Cancellarij functus est, fuitq; in eo
Palatinatu summæ autoritatis. Nunc
verò ætate ingrauescente, & impetrato
ocio à Repub. priuatam vitam in pa-
tria agit.

Erat tùm Venetijs Lucas Pom-
philius, Romani Pontificis Cubicula-
rius, homo doctus et eloquens, cum quo
antè in Comitijs Augustanis noticiam
aliquam familiaritatemq; Sabinus con-
traxerat. Is Sabinum ibi humanissimè
complexus est, ac vt suam ipsi declara-
ret beneuolentiam, adduxit eum in no-
ticiam amplissimi & doctissimi viri,
Hieronymi Aleandri, Archiepiscopi
Oritani & Brundusini.

Aleander postquam ingenium Sa-
bini in omnium bonarum artium ac
poëtices

poëtices studijs egregium ac præstans
cognouisset, dignum ipsum iudicauit,
cui priuilegia à duobus Pontificibus,
Leone Decimo & Clemente Septimo,
sibi cōcessa, impertiret, quemq; honori-
bus & dignitatibus, virtutis causa, or-
naret.

Hic Sabinum Venetijs apud S. Eu-
stachium in ædibus suis, primùm laurea
poëtica donauit, deinde gradu ordinis
Equestris ornauit, vt virtutis suæ per-
petuum haberet testimonium atq; mo-
numentum.

Inde Pataviū Sabinus profectus est,
vbi commorari aliquandiu studiorum
causa decreuerat. Viuebant tùm in eâ
vrbe Petrus Bembus & Iohannes Ba-
ptista Egnatius, qui istis temporibus
in tota Italia summæ eruditionis gloria
floruerunt. Vixit ibi Sabinus in isto-
rum eruditissimorum virorum intima

C 5 ami

amicitia, quorum familiaritas atq̄ con-
suetudo tanto ipsi honori atq̄ ornamen-
to fuit, vt ne optari quidem maius pos-
tuisset.

Hi summi viri Sabinum propter
ingenium & studia poëtica complectes-
bantur humanissimè, eumq̄ tum præ-
sentem & deinde absentem per lites-
ras crebrò hortabantur, ne eam stu-
diorum rationem, quam ingressus
esset, & in qua iam excelleret, vnquam
mutaret, neque aliò serapi atq̄ impelli
permitteret.

Bembus certè graui iudicio vir, tan-
tum iam ei tribuebat, vt eum omnibus
huius seculi Poëtis anteponeret, & cū
veteribus istis optimis eum compara-
ret. Idcirco Sabinus tantorum homi-
num autoritate ac iudicio commotus,
studium poëtices à primo statim ætatis
principio inchoatum, ac subinde ampli-
ficatum

ficatum, his maximis autoribus rursus non tam redintegrauit, quàm absoluit. Sed non admodum diu, aut certè non tam diu atq; volebat, istorum clarissimorum hominum consuetudine frui contigit. Citius eum inde auulsit negotiatorum quorundam perfidia, quibus res suas curandas commiserat, de qua in quadam ad Petrum Bembum Patrium Venetum, Epistola, conqueritur, suamq; in ea re infelicitatem deplorat.

Cum ex Italia in Germaniam rediturus esset, Venetias se contulit, ut discessurus salutaret Hieronymum Aleandrum. Is (ut antè dixi) Archiepiscopus fuit Oritanus & Brundusinus, natus Mottæ in Carnia, vir fuit doctissimus, & plurimarum linguarum, ut Aldus Manutius de ipso scriptum reliquit, peritus: obijt Romæ Anno à Christo nato 1542. Anno ætatis

ætat̄is suæ 63. climacterico nono: mo-
riens (vt Reuerendus D. Eberus Præ-
ceptor meus perpetua obseruantia co-
lendus, annotauit) hoc ipse sibi scripsit
Epitaphium:

Κάτθανορ οὐκ ἄεκωρ, ὅτι πᾶσομαι ὧρ ἐπι-
μάστου

πολλῶν ὧν περ ἰδέω ἄλγιον ἢ θανάτου.

Aleander verò, quem antea dignis
tatibus honoribusq̄ auxerat, eidem
quoq̄ priuilegia amplissima tribuenda
putauit. Iudicabat se hoc debere virtuti
Sabini, ne ipsum indotatum à se in pa-
triam dimitteret. Quamobrem ibi Sa-
binum ex Italia discedentem Comitum
aule Lateranēsis creauit, ac priuilegia
amplissima ei impertiebatur, quibus
postea Sabinus multorum auxit hono-
res. His amplissimis titulis honoribusq̄
auctus in Germaniam redijt.

Erat tùm Friburgi Erasmus Ro-
terodamus. Hunc in reditu Sabinus
adijt,

adijt, ab Egnatio Baptista literis accurate scriptis commendatus: ac vidit summum istum virum & venerandum senem in extrema senectâ, cum iam corpus eius & oculi ac ipsæ ingenij vires languescere & quasi in declinatione esse viderentur.

Post reditum ex Italia vixit aliquandiu in aula Reuerendissimi & Illustrissimi Principis, Marchionis Alberti, Archiepiscopi Moguntini, Electoris, qui ipsum inter cæteros aulicos et familiares suos singulari benignitate complectebatur. Conuersabatur familiariter cum ornatissimo viro Doctore Alberto Turco, Archiepiscopi Moguntini Cæcellario, cuius nomen passim istis temporibus in toto Romano Imperio celebrabatur. Item cum Philippo Buschemero eius principis Medico, viro eximia doctrina & magna ingenij suavitate

uitate prædito, cum Iohanne Iordano,
eiusdem Principis Camerario, & cum
alijs præstantibus viris, qui ipsum re-
cens ex Italia reuersum ac dignitatibus
auctum amicissimè complectebantur,
& honore afficiebant.

Paulò post Annam Philippi Me-
lanthonis Reuerendi & doctissimi viri
filiam, apud quem integrum decēnium
in studijs literarum vixerat, vxorem
duxit, quam pater ipsi in Italiam pro-
ficiscenti, desponderat.

Tandem Illustrissimi Principis
Electoris voluntate atq; iudicio com-
mendatum est ipsi munus docendi in
hac Academia: Ac venit huc anno
ætatis trigesimo, ac attulit secum egre-
gias ingenij dotes.

Sicut autem mandati muneris ratio
flagitabat, vt Poëtas & Oratores la-
tinos in hoc Gymnasio enarraret, &
ista

ista prælectio præcipuè instituta esset,
vt ad rectè dicendi studia iuuentus ad-
suesfieret: ita initium docendi fecit ab
enarratione libri primi Ciceronis de
Oratore ad Q. fratrem, in quo Marcus
Crassus de omni ratione dicendi splendi-
dissimè disputans introducitur. Memi-
ni cum primùm huc venire, me hoc
Distichon cathedræ adscriptum lege-
re:

Ista cathedra fuit præclaro extructa
Sabino,
Magni prælegeret cum Ciceronis
opus.

Maturus itaq; ad docendi munus
accessit: Nec quod pleriq; faciunt, do-
cendi prouinciam sibi ludum esse ad ex-
ercendum aut discendum putabat, sed
doctus tantum munus obire voluit.

In docendi officio ita versabatur,
vt auditoribus suis, imò toti Acade-
miæ

mie diligentiam, fidem & industriam suam abundè probaret. Academiae commoda apud Illustrissimum Principem Electorem Brandenburgicū, apud quem & tūm autoritate et gratia multū valebat, summa fide auxit atq; promovit.

Quia autem antecelluit ingenio, sapientia & eloquentia: idcirco Illustrissimus Elector non rarò ipsius opera usus est. Quin & Ratisponensibus Comitibus interfuit, Illustrissimi Principis Marchionis iussu atq; iudicio. Fiebant tūm ibi deliberationes de rebus gravissimis, de tollendis Religionum dissidijs, de bello Turcis inferendo, qui iam Pannonias occupauerat, & in ipso Germaniæ vestibulo grassabatur. Occupatus ibi Sabinus erat Principis sui negotijs. Interdum temporis aliquid tribuebat amicis, Conuersabatur familiaris

liario

liariter cum doctissimis viris in familia amplissimi viri Casparis Contareni, Legati Italici, qui in Venetorum Republica principem obtinebat locum, Ludonico Beccatello Bononiensi, Philippo Gereo, Adamo Thumano Veronensi, Triphone Bentio, qui tunc una cum Contareno Cardinale conuentui Ratisponensi interfuerunt, postea vero ad magnas dignitates propter eruditionem euecti sunt.

Neque vero & hoc silentio praeter eundum censeo, quod in ipsis Ratisponensibus Comitibus Sabinus in notitiam venerit Imperatoris Caroli Quinti, a quo tunc gradu ordinis Equestris ob virtutem ornatus est.

Quanquam enim antea non solum clarus, sed etiam in Nobilitatis ordine ab Aleandro Venetis relatus esset: tamen & ipse Imperator, autoritate

D Imperiali

Imperiali eadem nobilitatis ornamenta
ipsi decreuit, vt suæ & voluntatis &
opinionis de virtute Sabini extaret tes-
timonium. His Comitibus dissolutis, re-
dijt ad munus docendi in hac Acade-
mia.

Cum annos iam sex hic docuisset,
Illustrissi. Princeps, Albertus Marchio
Brandenburgensis, Dux Borussiae, consi-
lium coepit de condenda Academia in
vrbe Borussiae Regiomontana, eaq; in
re consilio utebatur Sabini. Sabinus
autem optimi & liberalissimi Princi-
pis consilium ac animum, quem erga
doctrinarum studia gereret, non solum
vehementer probauit, sed etiam autor
fuit, vt bonis artibus ibi domicilium ac
Musis sedem collocaret, suamq; ea in re
Principi promisit operam. Idcirco Aca-
demia ibi magnis sumptibus instituta
est, ac eruditissimis viris in omni disci-
disci-

plinarum genere, partim ex hac, partim ex Vuitebergensi Academia accersitis, instructa atq; ornata.

Ad eam Scholam aperiendam cum Sabinus hinc à Duce Borussia, quem honoris causa nomino, amplissimo stipendio auocatus, proficisceretur, comitatus est ipsum non exiguus numerus studiosorum iuuenum, ij præsertim, qui eadem studia, in quibus Sabinus excellebat, colebant atq; sectabantur.

Eius Academiæ condendæ sicut primus autor Sabinus erat: ita quoque primus in ea Rector fuit, gessitq; istum Magistratum per integrum triennium de Principis sententia atq; voluntate.

Enarrauit ibi veterum Autorum scripta cum magna nominis sui celebritate, & docendo ac scribendo excitauit atq; propagauit optimarum artium & eloquentiæ studia.

D

2

Multi

Multi eò inuitabantur nominis Sa-
bini celebritate: multi exemplo Sabi-
ni ad similem studiorum rationem se-
ctandam commouebantur.

Summum eius studium fuit exci-
tandi ac promouendi bona ingenia, quæ
existimabat Reipub. vsui futura, ac de-
lectabatur ipse officio, quod alijs præ-
staret. Nam aliorum seruire commodis
& vtilitatibus, autoritatis & gratiæ
fructum putabat esse maximum. Hinc
ad ipsum, tanquàm ad Delphicum A-
pollinis oraculum confluxerunt nō pau-
ci, qui vel poëtica vel oratoria studia se-
ctabantur atq; colebant, quorum aliqui
egregios progressus in Poësi & orato-
ria facultate fecerunt, quorum nomina
publicis scriptis passim celebrata sunt:

Quis enim non vehementer probet
Fidleri, Boceri, Bernhardi Holtorpij,
Iohannis Schosseri, Codicij, Davidis
Milej

Milesij, Henrici Molleri Hessi, praestantium Poëtarum scripta?

Hi omnes ex schola Sabini, tanquam ex equo Troiano, de quo est apud Poëtam, prodierunt: ex quorum numero, qui Dei beneficio adhuc superstites viuunt (nam quidam immatura morte abrepti sunt) non dubium est, quin de tanti viri disciplina, amicitia, colloquijs ac familiarissimis conuersationibus, sibi quam saepissimè gratulentur: memoriamq; eius gratis pectoribus conseruent, praesertim cùm quidam eorum, non eruditione solùm, sed dignitas^{ta} bus quoq; & amplissimis honoribus ab eo aucti sint.

Secutus deinde est interitus sancti Lutheri, cuius obitus incredibilem luctum Sabino attulit. Neq; enim priuato tantùm nomine doluit, quòd praecipitorem, quòd patronum, omni pietate

D 3 colen.

colendum, amisisset: sed multò magis propter orbitatem Ecclesie ingenti mœrore adficiebatur. Existimabat hunc Doctorem hoc postremo mundi tempore singulari quodam Dei consilio ad repurgandam religionis doctrinam, quæ tot annos densa caligine & horrendis tenebris obruta obscurataq; iacuerat, excitatum, & ad instaurandam Ecclesiam missum esse: ac prævidit eo nunc sublato statum Ecclesie Christi futurum esse aliquantò tristiorum: complectebatur animo & cogitatione magnitudinem diuinorum beneficiorum, quæ Deus per hoc salutare organum Ecclesie contulisset: præsa- giebat de futuris confusionibus, quæ etiam mortem Lutheri statim subsequæ sunt. Tanti viri morte, tantopere adfici, pietas quædam fuit, cum multis alijs virtutibus coniuncta.

Sed

Sed dum vix animum ab isto acerbo dolore, quem ei Lutheri obitus pepererat, paulatim abduceret, ecce eripitur ipsi carissima cōiunx, Philippi Melanthonis reuerendi & doctissimi viri filia, cuius fuit excellens virtus & pietas: quam cum ardentissima ^{sosy} diligeret, non potuit fieri, quin ingenti eius desiderio afficeretur.

Vixit deinde annos aliquot viduus: Tandem secundam duxit uxorem, Christophori Cromeri, cuius Regiomontani, honesti viri, filiam.

Mortuo Luthero exarsit in Germania tristissimum bellum, quod in multis Rebuspublicis insignem peperit mutationem, ac multarum ciuiliū discordiarum atq; tumultuum materiam occasionemq; præbuit, qui latissimè vagati sunt, cum multarum regionum, vrbium & populorum detrimento.

D 4 Distra-

Distractæ sunt voluntates eorum,
qui sedebant ad Rerumpub. gubernacula,
& animi mutuis odijs ex acceptis
& illatis vltro citroq; iniurijs accensi
atq; exulcerati sunt, ac tandem subsequenti
horrendi motus bellorum, vastationes
multorum locorum, direptiones urbium
& pagorum, dissipationes scholarum,
perturbatio disciplinae.

Excitata sunt etiam à leuibus ingenijs
dissidia & certamina de religione,
quibus confirmata est impiorum audacia,
& p; infirmi offensi sunt, & Ecclesia
Christi scandalis multipliciter deformata est.

Hæc publica & ingentia mala
rursus virum optimum, libertatis patriæ
amantem, cui grata & iucunda erat
Ecclesie tranquillitas & disciplina publica,
in magnum luctum coniecerunt. Dolebat Germaniam commu-
nem

nem patriam, tot intestinis bellis defor-
mari: deplorabat amitti libertatem ex
Rebuspub. quæ initio maiorum nostro-
rum virtute parta, tot annis ad ista
vsq; tempora propagata atq; defensa
fuit, qua nobilissima natio Germanica
cæteras orbis regiones & imperia
omnia antecellebat. Harum (inquam)
publicarum calamitatum aspectus, hæc
deformitas, magnum dolorem viro o-
ptimo, publicæ tranquillitatis amanti,
peperit. ! Quid enim est tristius? quid
magis omniũ lachrymis deplorandum,
quàm Ecclesiæ doctores, qui quotidie
de concordia, de modestia, de fraterna
dilectione concionantur, sic inter se di-
micare ac digladiari, vt inter se certa-
runt Atreus & Thyestes, Eteocles &
Polynices, Romulus & Remus, & si-
miles parricide innumerabiles? Cohor-
resco toto pectore, cogitās, quantũ ea in

D 5 re

re mali sit. Sed tamen semper hæc pestis alicubi grassata est, & forsitan metuendum est, hoc postremo mundi tempore grassaturam esse latius. Hic luctus ex publicis calamitatibus conceptus, huic optimo viro cum omnibus bonis communis fuit.

Erat verè aurea ætas vivente Luthero, postea secuta est ferrea.

Nulla certè ætas, quantum ex historiariū monumentis colligo, tam brevi interuallo, tantum sensit malorum atq; hæc nostra. Quamobrem quis non doluisset? quis non fuisset contristatus? cui non mouisset lachrymas tantorum malorum cogitatio atq; aspectus?

Mouit etiam tum in Borussia dissertationes Osiander, quæ magnam dissipationem in noua ista Academia Regiomontana fecerunt, in qua iam flore
re

re cœperant omnium optimarum ar-
tium disciplinarumq; studia. Multa ibi
vidit Sabinus, quæ ipsi ingentem dolo-
rem attulerunt. Cæterum, cum rem in
eum locum adductam videret, ut nec
opem ferre scholæ ruenti, nec cōcitatas
turbas sedare posset, cumq; iam disper-
so docentium discipulorumq; cœtu, spes
esset recolligendæ Academiæ planè exi-
gua, ipse quoq; de discessu & migratio-
ne consilium cœpit, dimissionemq; ab Il-
lustrissimo & clementissimo Principe
suo, cuius erga ipsum perpetua fuit be-
neuolentia, petijt, ac tandem multis pre-
cibus impetrauit. In omnibus verò fi-
dem & constantiam præstitit, bono vi-
ro dignam.

De Osiandri enim quid senserit di-
sputationibus, ipso declarauit opere, ac
toti mundo conspicuum effecit.

Porro

Porro cum iam constaret eum in
has regiones rediturum esse, à tribus
est expetitus Academijs. Sed amore
quodam adductus patriæ, hic reliquam
vitam, quam Deus concessurus esset,
exigere maluit, quam alibi, et quicquid
contigit industriæ vsu experientiaq;
confirmatum, id totum ad patriæ salus
tem vtilitatemq; conuertere, & patriæ
quasi consecrare decreuit. Delectabat
ipsum veterum Collegarum & amico-
rum consuetudo atq; familiaritas, mo-
uebatur amore patriæ, & Illustrissis
morum Principum Marchionũ Bren-
deburgensium summa erga ipsum be-
nignitate atq; gratia.

Ab eo tempore, quid in hoc Gymna-
sio, quid in Repub. egerit, ita plerisq;
vestrum notum est, vt nulla putem
opus esse commemoratione. Scitis enim
quanta fide, quanta diligentia, quanta
indus

industria, quanta deniq; dexteritate
optimos scriptores publicè hic enarra-
uerit. Scitis quantus ad ipsum audienda
dum concursus non iuuenum modò, sed
seniorum quoq; factus sit. Scitis quoc-
ties ad ipsum audiendum peregrini,
præstantes homines in publicum audis-
torium venerint. Neq; verò selectissim-
os Poëtas tantum & Ciceronis scri-
pta his proximis annis in Academia
hac enarravit, sed Iuridicas etiam ma-
terias studiosæ iuventuti proposuit atq;
tradidit, adhibitis illustribus exemplis
& sparsis in docendo illecebris, ex hi-
storiarum, sententiarum, fabularum,
dictorum & exemplorum varietate
atq; copia, ut ipsa rerum suavitate ac
utilitate omnium auditorum animos ad
cognoscendas res vitæ vtilis accende-
ret, ac ad virtutis decus magis atq; ma-
gis inflammaret.

Ab

Ab hoc docendi munere nunquam
ipsum privata commoda, nunquam ocij
cupiditas, nunquam inertia, nunquam
ignavia, nunquam deniq; voluptates re-
morate sunt: sola ipsum Reipub. &
grauissima principum negotia ab hoc
officio interdum auocarunt aut retar-
darunt.

Nec defuit eius officium reliquis
Professoribus, consulebatur à multis,
multos autoritate, qua antecelluit, mul-
tos consilio, multos opera iuuit.

Domus eius indies frequentabatur
à literatis hominibus, sæpè etiam à pe-
regrinis, summis præstantissimisq; vi-
ris, honorabatur ab omnibus, erat apud
omnes in magna existimatione. Cum
enim nomen ipsius propter eruditionem
& virtutem passim celebre esset, cumq;
autoritate antecelleret, familiaritas
eius expetita est à multis, præcipuè ve-
rò

rò ab eruditis, fuitq; nomen illud Sabiani omnibus gratum & iucundum.

Docuit autem hic in vniuersum annis tredecim: tot annis docuit Athenis Aristoteles, Philosophorum omnium, quorum quidem ad hanc nostram ætatem scripta propagata sunt, princeps.

Porrò non scripta solùm, sed discipulos quoq; post se reliquit, qui ipsum grati Præceptorem suum agnoscunt, qui in varias regiones dispersi, doctrinam à Sabino, quasi per manus acceptam, propagant.

Admirentur sanè alij alia vitæ genera, quæ forsàn plus habent splendoris, aut magis incurrunt in hominum oculos: nos verò sic statuamus, vix vllum vitæ genus huic antefereendum esse.

Quod

Quod enim, quaeso, munus hominum
societati vtilius est, quod humanae vitae
magis necessarium, quam munus do-
cendi? quo artes, quae, vt Cræsus apud
Xenophontem inquit, fontes sunt o-
mnium in vita bonorum, conseruantur,
& ad omnem posteritatem propagan-
tur. Rectè namq; à Platone dici existi-
mo: Artium optimarum professores,
& si non gerant magistratus in Rebus-
pub. tamen iustos esse, quia artes vitae
humanae vtilis inquirunt atq; tradunt.

Qui enim ingenia præparant, vt
Reipub. possint esse vsui, ac iuventutem
informant, vt inde fructus tempestiuos
ciuitates percipere queant, hi non peius
de genere humano mihi mereri viden-
tur, quàm qui ad ipsa sedent rerum gu-
bernacula. Etenim hi vni saltem Reipub.
operam dant, & vnã tantum
tuentur ciuitatem: at illi multis ciuita-
tibus

tibus gubernatores instruunt atq; in-
formant.

Quàm verò non fuerit ignarus
Reipub. Sabinus, & qua fuerit prædis-
tus sapientia, ex eo existimari potest,
quòd Illustrissimus & sapientissimus
Princeps Elector Brandenburgicus,
Dominus noster clementissimus, non
rarò consilijs eius in deliberationibus,
quas habuit de rebus gravissimis, usus
sit, eumq; virtutis causa carissimum
habuerit ac magnificerit.

Quid verò dicam de eloquentia eius,
quæ in ipso fuit valdè eximia & illu-
stris? Scitis omnia ei abundè adfuisse,
quæ tùm à natura, tùm à doctrina ad
dicendi facultatem requiruntur.

Enituit eloquentia ipsius non tan-
tùm in Scholis tanquàm in vmbra, sed
in clarissima luce, in summorum Prin-
cipum consilijs & negotijs. Quid quod

E Illu

Illustrissimi Principes, Marchiones
Brandenburgici, Domini nostri gratios-
sissimi, plerasq; causas latinè dicendas,
& negotia ferè omnia apud exteros
Reges & Principes conficienda, soli
Sabino commendauerunt, ipsiq; longin-
quas legationes imposuerunt, in quibus
omnibus ita versatus est, vt non solum
Illustrissimis Principibus nostris, sed
exteris quoq; sapientiam, fidem, indu-
striam & facundiam suam abundè
probarit.

Audiuit ipsum aliquoties magna
cum approbatione & admiratione Si-
gismundus Augustus, rex Polonicus,
audiuerunt ipsum regni Polonici Pro-
ceres, audiuit ipsum Illustrissimus Dux
& Senatus Venetus, audiuit illum Il-
lustrissimus Dux Florentinus, audiuit
ipsum Madrucius Cardinalis Tridentis-
nus, cuius eruditio celebratur. Apud
hos

hos omnes Sabinus summam præstan-
tis ingenij, eruditionis & eloquentiæ
laudem tulit.

Vt enim Cicero scribit, ad Demo-
sthenem audiendum ex vniuersa Græ-
cia magnam multitudinē solitam fuisse
Athenas confluere: Ità meminimus in
celeberrimis ac frequentissimis Comi-
tijs Polonicis, quæ in oppido Petroco-
nio haberi solent, magnos ad hunc no-
strum Oratorem concursus factos esse,
& quidem doctorum & disertorum
hominum, à quibus ingenium, pruden-
tia & eloquentia eius eximiè laudata
est, cum audiuissent Orationem rerum
grauitate ac verborum maiestate orna-
tam, incredibili facilitate fluentem.

Plato in Phædro grauissimè in-
quit: eam eloquentiam expetendam es-
se, quæ grata Deo & hominibus salu-
taria dicat. Hanc semper amavit Sa-

E 2 binus,

binus, hanc ab omnibus expetendam
monuit. Execrabatur omnes, qui ingenij
vires, qui eloquentiae arma, non ad
ornandam Dei gloriam, non ad publi-
cam salutem, sed ad labefactandam re-
ligionem, ad defendendas impias opi-
niones aduersus Deum, ad stabiliendos
cultus idolatricos, ad opprimendos bo-
nos, ad obtrectationem & calumnias
conuerterent, cuius rei haec nostra aetas
insignia conspexit exempla. Nam vt
nunc nihil dicam de reliquis, qui hac
nostra aetate ingenio & doctrina inefa-
rariè abusi sunt & abutuntur, animad-
uersi sunt nonnulli, qui Praeceptores
suos de se totaq; Germania praecclare
meritos calumnys & mendacijs defor-
mare & opprimere conati sunt, imò
in mortuos etiam saeuirunt et grassentur,
non sine magno Ecclesiae scandalo, &
omnium piorum immenso luctu & do-
lore.

lore. Quid autem tam est ab omni pietate alienum, quam istis ingētibus Dei donis, ingenio, eruditione & doctrina tam nefariè abuti, quid tam inhumanum, quam eloquentiam seu facultatem dicēdi ac scribendi à natura ad salutem hominum datam, ad bonorum pestem perniciemq; conferre? Qua de re mul-
torum aliorum extant querelæ.

Sed non dicam de eloquentia Sabiani, quæ Rebuspub. salutaris fuit, amplius. De hac enim ex scriptis eius, quæ nunc in omnium versantur manibus, abundè iudicari potest.

Nec de scriptis eius nunc quicquam addo, de quibus multa copiosè dici, splendidèq; commemorari possent, nisi hæc temporis obstaret angustia. Plena enim sunt eruditionis & sapientiæ. Quamobrem ea omnis admirabitur posteritas, studioseq; leget & magnifa-

E 3 ciet.

ciet. Quis enim eiusmodi esse non videt, ut sine omni dubitatione ad omnem sint posteritatem peruentura, ac mansura, donec latinæ loquentur literæ?

Non poëmata solum & Orationes, sed historica quoq; scripta nobis posterisq; reliquit, in quibus omnibus tanta est orationis elegantia, tanta proprietas, tantus splendor, ut vel in ipso Latio, & quidem ab ea ætate, quæ purissimè elegantissimèq; locuta est, cum admiratione legi potuissent. Leguntur autem nunc cum magna approbatione, non solum in Germania, sed in ipsa etiã Italia, ab eruditissimis ingenijs, quæ de tali orationis forma atq; genere iudicare possunt, suntq; ornata gravissimis ac perpetuis iudicijs eorum, qui in vniuersa Italia hoc nostro seculo præcipuè eruditionis sapientiæq; gloria floruerunt, Bembi, Egnatij, Aleandri, qui profectò

profectò tales fuisse videntur, vt propter eruditionem nomina eorum immortalia futura esse existimentur. Callimachus rogat Charites, vt manus delibutas fragrantibus succis lauent in elegis suis, vt propter gratiam ac venustatem possint esse perpetui. Tanta est autem suauitas orationis in omnibus scriptis Sabini, vt iurè existimari possint, Charites aliquid succi aspersisse de manibus, vt Callimachi vtar verbis.

Sed hanc de scriptis Sabini commemorationem omitto, eamq; in aliud tempus magis idoneum reijcio. Quin et illud prætereo, vobisq; cogitandum relinquo, quàm preclarè de nobis deq; omni posteritate meritus sit Sabinus, quòd præcipuas res gestas Germanicorum Caesarum, ex varijs monumentis collectas, literis memoriaeq; mandauerit.

E 4 Nemo

Nemo mea quidem sententia de
vniuersa Germania melius meretur,
quàm qui ingenium, qui industriam, qui
stylum ad egregia laudabiliaq; veterum
Germanorum facta literis memoriaq;
mandanda confert, & in iisdem illu-
strandis studium ponit operamq; consu-
mit. Etenim nullū prorsus est dubium,
quin Imperatores nostri Germanici fer-
mè omnes sapientia, consilijs & magni-
tudine animi pares fuerint laudatissi-
mis Græcorum ac Romanorum Prin-
cipibus, religione verò ac iusticia longè
etiam præstantiores.

Fateor equidem, omnium tempo-
rum atq; ætatum historias communi
hominum vitæ summoperè vtilis &
necessarias esse: sed tamen in primis eo-
rum beneficium celebrandum censeo,
qui in ijs rebus illustrandis, ac ab interi-
tu vindicandis elaborant, quas & pa-
cis

cis & belli tempore, domi & foris ve-
teres gesserunt Germani, propterea,
quòd exempla nostratia ad inflamman-
dos ad virtutem nostrorum hominum
animos, plus quàm peregrina ponderis
habeant atq; momenti. Sed proh dolor,
quàm multarum & quàm magnarum
rerum memoria interijt à veteribus
Germanis gestarum, quæ utinã lucem
à literis accepissent. O utinam maiores
nostri, cum res maximas gesserint, in
hanc etiam curam incubuissent, ut ea-
rum memoriam ad posteros transmisis-
sent atq; propagassent. Sed non sunt in-
uenti idonei scriptores, qui rebus præ-
clarè gestis literarum lumen adderent.
Hinc nunc tot egregia facta unà cum
corporibus eodem puluere obruta atq;
sepulta iacent, quod toties cum gemitu
deploramus.

Interea autem, dum hac luce care-

E 5 mus,

mus, dum nemo historiam integram complexus est, immortalē laudē mereatur, qui res patrias aliquo saltem modo illustrare conantur, ne maximarum rerum memoria prorsus intercidat. Ea verò in re egregiam nobis posterisque operam Sabinus noster nauavit, qui Germanicorum Cæsarum seriem elegantissimo carmine complexus est, resque ab ijs gestas præcipuas descripsit, et quasi ex incendio ereptas nobis ac omni posteritati conseruauit.

Dixi hætenus de studijs & de genere vite Sabini. Intellexistis, quem vite cursum tenuerit, nempe eum, quem cum omnes viri docti ac sapientes, semper sibi optauerint, pauci tamen tenere potuerunt. Id enim consecutus est Sabinus, quod equidem video hoc nostro tempore contigisse paucissimis, ut & in negotijs sine periculo & in ocio cum
summa

summa dignitate, autoritate & existimatione viueret.

Nunc de moribus eius & de vita priuata pauca quædam adijciam. Ea autem plena fuit honestissimorum exemplorum. Primum conspecta est in ipso vera pietas, quæ omnium aliarum præstantissimarum virtutum fundamentum est. Hæc in moribus, hæc in actionibus eius enituit, hanc voce & oratione expressit, hanc in hoc postremo rerum suarum actu declarauit, qui, qualem quisque vitam egerit, plerumque solet demonstrare.

Amplexus est autem vniuersam de Deo doctrinam, ab ipso Dei Filio traditam, & à Prophetis atque Apostolis literis mandatam. Nec aliter de essentia & voluntate Dei sentiendum iudicauit, quam sicut se in scriptis Prophetis & Apostolicis Ecclesiæ suæ patefecit.

fecit. Amplexus est omnes articulos
Christianæ religionis, repetitos in Con-
fessione Augustana, ac adfuit tum Aus-
gusta, & quidem interfuit, quando ea
Confessio conscripta est, & solenniter
à Protestantibus Imperatori Carolo V.
exhibita. Nec dubitavit eam cōgruere
cum Apostolorum doctrina, & esse Ca-
tholicæ Ecclesiæ Dei consensum: ac
iuxta hanc doctrinam Deum agnouit,
inuocavit ac celebravit, & iuxta ean-
dem vitam & mores suos rexit, &
Deo pro immenso hoc beneficio gratias
egit, quòd rursus lucem verbi sui ac-
cendisset.

Deinde luxit in eo nobilissimus ille
virtutum chorus, modestia & vere-
cundia, quam Cicero omnium virtutum
custodem vocat, temperantia et sobrie-
tas, quæ salutarium consiliorum parens
est, pudicitia, castitas & iusticia. Has
ipse

ipse virtutes ab adolescentia vsq̄ in
omni vita studiosè coluit, diligenterq̄
retinuit. Ab omni ambitione, arro-
gantia & emulatione alienus fuit. Ve-
rè autem gloriæ amans erat. Trahimur
enim omnes laudis studio, & optimus
quisq̄ maximè gloria ducitur. Pacis,
tranquillitatis & cōcordiæ studiofissi-
mus fuit. Abhorruit ab omnibus sedi-
ciosis & tribunitijs consilijs, moderatus
erat, & verè ἠθικὸς ac gratus omnibus,
in omni vita, in omnibus vitæ actioni-
bus apertus, candidus & syncerus.
Mibi sæpenumerò de ipso cogitanti in
mentem venit dulcissima ista Marci
Antonij descriptio, de quo sic inquit
Dion: Similis sibi ipsi semper fuit, nec
vlla in re mutatus est vnquam: bonus
erat, nihil erat non natium, nihil astutè
simulatum aut adscitum. Talis reuera
erat Sabinus noster, & talem fuisse,
omnes

omnes quotquot ipsum probè nouimus,
fateri cogimur.

Mores enim eius nisi casti, nisi iusti
fuisset, non fuisset gratus tot Princi-
pibus, tot populis, tot summis viris,
quibus non solum notus, sed familiaris
quoq; atq; carus fuit.

Erat præterea in eo magna φιλο-
σοφία, magno amore coniugem, magno
amore liberos suos complectebatur.

Corpore fuit gracili, sed temperan-
tia & sobrietate ac optimo viuendi or-
dine sic valetudinem & corporis vires
tuebatur ac corroborabat, vt longis
profectionibus sufficerent.

Magnas opes & diuitias non ad
modum quæsiuit. Caduca & mobilia
hæc esse duxit, non virtutis atq; inge-
nij, sed fortunæ atq; temporum mune-
ra. Patrimonium liberis reliquit am-
plissimè

plissimum, paternæ videlicet famæ & gloriæ immortalis laudem, quæ est hæreditas omnium præstantissima.

Commemoravi ferè totam Sabinæ optimi & ornatissimi viri vitam, quantum quidem fieri hoc loco ac tempore potuit: Nunc restat, vt de postremo eius actu dicam, quo breuiter simpliciterq; exposito, finem dicendi faciam.

Anno 1560. Mense Iulio missus est ab Illustrissimo Electore Brandeburgico in Italiam. Eam legationem antequàm obiret, quasi præsagens euentum, Testamentum piè fecit, adhibitis (vt fieri solet) testibus, clarissimis & doctissimis viris, Abdia Prætorio & Christophoro Cornero, et alijs quibusdam Academiæ Francofordianæ Professoribus, cum quibus ipsi iucundissima consuetudine

suetudo arētissimaq; amicitia atq;
familiaritas longo vsu atq; adeò multis
mutuis officijs confirmata, virtutis
causa intercessit. In eo Italico itinere,
cùm iam Venetijs causas demandatas
perorasset, & Florentiam inde profi-
cisceretur, cum morbo cōflētari cœpit,
quē Medici Febrim vocāt quartanam,
cuius violentia cùm corporis vires ad-
modum debilitari sentiret, properādum
sibi ac tandem in Germaniam recur-
rendum statuit.

Ex Italia admodum æger in lectica
Augustam deportatus est, vbi tres pro-
pemodum septimanas decubuit.

Neq; verò ipse solùm, sed & omnes,
quotquot in comitatu suo habuit, ad-
uersa valetudine correpti sunt, vt non-
nullos, diuersis in locis ægros reliquerit.
Augustæ verò, cùm Medici frequentes
ad ipsum accederent, & in omnibus
templis

templis preces publicæ pro eo fierent,
paulum confirmatus domum properat,
forsan hanc ob causam, ne in peregrinis
locis, procul à conspectu dilectissimæ
familie suæ, & amicorum, imò huius
Academie, in qua annos non paucos
cum multorum fructu docuit, & de
qua quàm optimè meritus est, morere-
tur.

○ Francofordiam reuertitur die No-
uembris quartodecimo, cum tanta suo-
rum lætitia atq; congratulatione, quan-
ta prius omni cum tristitia in longin-
quam regionem profectus fuerat, Sed
redit admodum languidus & æger. Ab
eo tempore in publicum non prodiit, sed
totum illud tempus, quod ad mortem
usq; superfuit, solo decubitu consumpsit:
ita tamen sese gerens, quasi sensim con-
ualesceret, aut certè spes conualescendi
esset. Sed recurrit febrilis paroxismus

F Ultimo

ultimo Nouembris die, qui ita reliquas
corporis vires prostravit atq; debilita-
uit, vt Medici malè ominari incipe-
rent, deq; vita eius desperare.

Accersitus enim ad ipsum erat præ-
ter Doctorem Iohannem Knoblochi-
um, vir in omni disciplinarum genere
doctissimus, & in arte Medica præ-
stās, D. Iacobus Iokissus, dominus &
amicus meus obseruandus, quo Medico
Sabinus & antea sæpè vsus fuerat.

Totum autem tempus illud, quo de-
cubuit, cōsumpsit in exercitijs fidei atq;
pœnitētiæ. Pietatem suam erga Deum
declarauit, cū aliàs, tūm præcipuè in
hoc ultimo & placidissimo rerū suarū
actū. Omnes ipsius sermones, quos hoc
ingrauescētis morbi tempore cum ami-
cis contulit, omniaq; ipsius colloquia,
quæ cum ijsdem habuit, fuerūt de Deo,
de beneficys Christi erga genus huma-
num,

num, de diuinis promissionibus, de vita
æterna. Ex quibus cognitum animada
uersumq̄ est, quanta se cura ad mortem
præpararet. Crebrò se suamq̄ salutem
Deo ardentissimis precibus commen
dauit, seq̄ totum diuinæ voluntati sub
iecit, inquit: Si me Deus ex hac mi
sera & ærumnosa vita hoc tēpore auo
care velit, obtemperabo quàm libentis
simè diuinæ voluntati & vocationi
Dei. O vocem piam, & quam nullum
nisi Christo Filio Dei deuotum pectus,
edere atq̄ emittere potest.

Quanquàm verò dulcissimæ Con
iugis paruorumq̄ liberorum orbitate,
commoueri nonnihil ad diutius viuen
dum poterat: tamen hanc ipsam solli
citudinem, si qua fuit, longè vicit supe
rauitq̄ æternæ vitæ spes atq̄ fiducia.

Paucis ante mortem horis non so
lùm attentè audiuit clarissimum et do
ctissimū

F 2 Etissimū

Etissimum virū Abdiam Prætorium,
carissimum amicum suum recitantem
confessionis ac precatationum formulas:
Verū ipse etiam easdem sua voce ar-
denti pectore pronūciauit, vt visus sit,
quasi iam ipsis suis oculis in æternam
felicitatem intueri, in quam paulò post
concessit. In primis verò frequentissi-
ma familiarissimaq; ipsi fuit dulcissima
illa Christi Filij Dei vox atq; oratio:
Venite ad me omnes, qui laboratis &
onerati estis, ego reficiam vos, quam
magnæ sibi delectationi atq; consolatio-
ni esse significauit. O te felicem Sabine,
qui tam suauiter in Christo Filio Dei,
vnica & vera salute humani generis
acquieuiisti, ô te beatum, qui hanc salu-
tis anchoram in hac vltima vitæ tuæ
hora apprehendere potuisti.

Tandem acquiescens in fiducia mi-
sericordiæ Dei, & certa ac indubitata
spe

Spe perpetuæ felicitatis, die Decembris
secundo, hora septima antemeridiana,
eodem temporis momento, quo ante an-
nos quinquaginta tres, menses septem
& dies decem, in hanc lucem editus
fuerat, animam suam Deo reddidit, &
sine vlllo prorsus horrore, sine omni o-
mninò trepidatione edito extremo spi-
ritu, hinc in æternum illud sanctissima-
rum animarum domicilium auolauit, et
ex hac misera & ærumnosa vita, in vi-
tā beatam, & ex his tenebris in lucem,
& ex hac morte in vitā cælestē eter-
namq̄, commigravit: in qua nunc frui-
tur conspectu ac dulcissima consuetudi-
ne atq̄ colloquijs Dei, Prophetarum,
Apostolorum ac omnium sanctorum:
ac Deo gratias agit pro omnibus bene-
ficijs, salutemq̄ Ecclesiæ, quæ in hac
calamitosa vita ingentibus exercetur
ærumnis, Deo commendat. Hanc ergò

F 3 tibi

tibi Sabine, qui in vita nobis carus fuisti, sempiternam felicitatem, in qua lætus acquiescis, hūc tibi portum gratulamur. Talem vitæ exitum tam pium & placidum, soli pijs, soli electi & Deo cari, consequuntur.

Obitum eius statim consecutus est publicus omnium bonorum luctus, eorum præsertim, qui magnitudinem detrimenti, quod huius præstantissimi viri interitu Reipub. accidit, considerant & apud animum perpendunt.

Doluit de eius morte Illustrissimus & sapientissimus Princeps Marchio Brandenburgicus, Romani Imperij Elector, qui Sabinum viuentem propter ingentes ingenij animiq; dotes, ac summas & verè heroicas virtutes carissimum habuit.

Doluit de morte ipsius Reuerendissimus & illustrissimus Princeps, Sigismundus

gismundus Archiepiscopus Magdebur-
gensis, qui cū hūc virum propter exi-
miam virtutem summoperè dilexerit,
magniq̃ fecerit, non est dubium, quin
eundem & propter amorem, quo eum
complexus est, & propter Rempub.
sæpè desideret.

Porrò & domesticis suis, & no-
bis omnib. imò vniuersæ huic Acades-
miæ tristissimū sui desiderium reliquit.
Meritò autem dolemus tale nobis orna-
mentum ereptum esse: meritò dolore
adficimur, quòd virū summa vi ingenij
præditum, multiplici doctrina & sum-
ma eruditione instructum, ac longo vsu
confirmatum, multisq̃ præclaris & pe-
nè diuinis virtutibus præditum, amise-
rimus non sine magno Reipub. rei q̃ li-
terariæ detrimento. Tanti (inquam)
viri mortem meritò lachrymis & ge-
mitu prosequimur: non ipsius quidem

F 4 causa,

causa, quia cum ipso actum est quam optime. Etenim eo tempore & eo rerum statu vitam cum morte commutavit, quo nihil admodum ipsum ad diutius viuendum poterat inuitare: ita verò etiam sanctè pieq; mortuus est, vt non sit dubium, ipsum iam cum omnibus dilectis Dei frui æterna lætitia, æterna sapientia, æternoq; splendore atq; veritate Dei: sed nostra potius afficimur orbitate, hunc à nostra consuetudine abductum auocatumq; esse, qui immortalis vita inter homines dignus fuisset, si quid tale aut Dei voluntas, aut humane sortis cōditio, ferret aut pateretur. O verè difficilem humane vitæ conditionem, ô seculum infelix atq; calamitosum, ô fata hominis iudicio verè iniqua, quibus qui gloriæ Dei, qui publicæ salutis, qui communibus omnium commodis ex animo student, & quam optime

mè

mè volunt, hi nobis omnium primi hinc auferuntur. Sed obtemperandum est Dei iudicio, qui sibi caros & dilectos omnium primos ex huius vitæ fluctibus atq; procellis aufert, ne videant futura mala, impendentesq; calamitates, quæ humeris nostris non obscure imminere videntur.

Solet enim non rarò, quod iam toties experientia atq; re ipsa animaduersum deprehensumq; est, magnorum virorum interitus, clades atq; pœnas posteritati denunciare, quos Deus hinc sancto suo iudicio aufert, ne inspectores sint ruinae futuræq; vastitatis rerum, nèue in ipsos etiam pars aliqua eorum fluctuum redundet, nèue doloris impendentiumq; ærumnarũ participes fiant: quas tamen pro sua immensa bonitate atq; misericordia aut nobis mitigabit Deus, aut etiam à nobis auferet, aut

certè patientiam nobis in ijs ferendis
dabit, si seriam egerimus pœnitentiam,
vitamq; nostram in melius emendaueri-
mus.

Nunc desino de Sabino dicere,
cuius vitam mortemq; nobis proponen-
tes, Deo gratias agamus, quòd tanti
viri vsum Reipub. concessit: ac memo-
riam virtutum & beneficiorum ipsius
nobis ab ipso præstitorum, gratis mēti-
bus conseruemus, virtutesq; eius imita-
ri studeamus, vt quisq; suo loco Deo
grata & hominibus salutaria in hac vi-
ta faciat: ac interim æternæ vitæ gau-
dia nobis proponentes, appetamus cœ-
lestis vitæ consuetudinem, in qua rur-
sus Sabinum videbimus, ac incredibili
gaudio vicissim complectemur, & De-
um vnà cum Angelis ac omnibus cœle-
stibus in omni æternitate celebrabi-
mus. Hac tantarum rerum cogitatione
ita

ita fruamur, vt cum quadam delectatione atq; consolatione in ea quam placidissime acquiescamus.

DIXI.

IACOBVS CVCH
LERVS SILESIVS,
Artium Magister, & Palatini
Syradiensis Secre
tarius.

IOHANNI BOTTICHERO
AMICO SVO TANQVAM
fratri carissimo

S. P. D.

Docte uir, & merito mihi semper honore colēde,
Bottichere tuæ, maxima fama domus.
Quo mihi non alius te carior extat amicus,
Qui mihi semper eris fratris habende loco,
Quòd calamo celebras clarum uirtute Sabinum,
Cuius in his terris fama superstes erit,
Non possum satis hunc sanctum laudare laborem,
Tamq; pium fidi pectoris officium.

Est

Est pietatis opus manes celebrare piorum,
Et labor hic laudem religionis habet.
Si quis inest etiam post ultima funera sensus
Defunctis, cultum hunc officiumq; probant.
Æterno ante alios est dignus honore S A B I N U S,
Fama Poëtarum, gloria Piëridum.
Nam seu candorem sanctæ aut penetralia mentis,
Seu linguæ spectes flumina, primus erat.
Quid magis optandū, quàm famam linquere terris?
Post mortem, æternū uiuere cumq; Deo.
Ergò meum ut studium simul & testarer amorem,
Complexus uatem, quo meritò ipse fui,
Bottichere tibi hæc aliorum exempla secutus,
In tumulo mitto pauca notanda suo.
At uix respondent meritæ hæc præconia laudi,
Et meliore cani carmine dignus erat,
Iusta meis fateor modo desunt oia Musis,
Hæc quoq; præcipiti sunt mihi scripta mora.
Ergò breue hoc placida carmē lege frōte Iohannes,
Hinc in te nostri signa & amoris habere.
Nam licet exiguus mihi tecum est usus amoris,
Vsq; adeò tamen est noster adauctus amor,
Solucere ut hunc nequeant nulla interualla locorū,
Liuida nec nobis lingua nocere queat.
Temporis hanc minuet non ulla iniuria mentem,
Nil nisi mors soluet uincula amicitie.
Namq; tuum possum non pectus amare Iohannes,
Non unquàm possum non meminisse tui.

V ita

Vita placet, sunt grata mihi tua dulcia dicta,
Non possunt tua non scripta placere mihi.
Quem non quaeso styli capiat splendorq; nitorq;
Bottichere tui, quem Cicero ipse probet?
Quo celebras docti uitam manesq; Sabini.
Cuius nunc toto nomen in orbe uiget,
Quem nimis heu propera deplorat morte perem-
Vndiq; clarorum docta caterua uirum. (ptum,
Perge bonis auibus studijs incumbere honestis,
Viuat ut ingenij uena diserta tui.
Quod superest precor, ut felici sydere uiuas,
Et numeres uitae tempora longa, uale.

EPITAPHIA CLA-
RISSIMI VIRI, ET
optimi Poëtarum, D. Georgy
Sabini, I. V. Doctoris.
Autore Iacobo Cuchlero.

Occidit ante diem Musarū cura SABINVS,
Qui caput & uatum gloria summa fuit.
Castaliae hunc deflent lugubri carmine Musae,
Plorat & abiecta tristis Apollo lyra.
Certa subest ratio, decus amiscere Camenae,
Quo uix in terris maius habere queunt.
Quicquid Roma docet, quicquid docuistis Athenae,
Nouerat, obscurum nec minus iuit iter. II

*Illius ad tumulum succrescat Apollinis arbor,
Mixtaq; cum uiolis lilia, cumq; rosis.*

ALIVD.

Hic situs est, uatum decus & laus summa **SABI-**
Illius at nescit inuida fama mori. (NVS,
Italus hunc celebrat, Germanus, Gallus, Iberus,
Non mors, sed uita est, hac ratione mori.

ALIVD.

Arui extincto Laurus Phœbea **SABINO,**
Pegaseus subito fonsq; negauit aquas.
Ex Helicone simul uox est audita **SABINO**
Defuncto, Muse conticuere nouem.

ALIVD.

Defuncti cineres hæc continet urna **SABINI,**
Quæ sinet haud unquam posthuma fama mori.
Ingenio quæsitus honos sine fine manebit,
Germana dum tellus, dum gret astra polus.

ALIVD.

In tumulo hoc uatem ne crede iacere **SABI-**
Nam petijt moriens regna beata Dei. (NVM,
Nominis illius celebratur fama per orbem,
Nil præter cineres continet urna leuis.

Pauca quædam errata, quæ in excudendo fortè com-
missa sunt, sic corrige, A 3. facie secunda pro n lege in,
pro ga lege ita. B z. pro septiraa lege septimana. pro
certis lege certas, D 3. pro dignitibus lege dignitatibus


Ca 692

ULB Halle
004 953 673

3



TAOC



B.I.G.

Farbkarte #13

DE VITA ET
OBITU CLARISSIMI
ET ORNATISSIMI
VIRI,

D. GEORGII SABINI,

ORATIO

M. IOHANNIS BO
TICHERI RVPI-
NENSIS.

AD FINEM ADIECTA

*sunt Epitaphia, conscripta à clarissimo viro,
D. Iacobo Cuchlero Silesio, Palatini Sy-
radiensis Secretario.*

VVITTEBERGÆ
Excudebant hæredes Geor-
gij Rhaw.

Anno M. D. LXIII.

*Clariss. D. Doctori, Johanni
maiori, d. d. Autor.*

(14)
Ca
1144

215